Scientia Dei (inquit) non eſt cauſa mali; ſed eſt cauſa boni, per quod cognoſcitur malum. Reſpectu vero malorum culpæ, quia ratione malitiæ a divina bonitate avertunt, divinam quoque cauſalitatem ſubterfugiunt. Attamen ait idem S. Doct. hac eadem q. 14. art. 16. in corp. mala licet ab eo ſint operabilia, tamen ſub cognitione practica illius cadunt, ſicut & bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea: ſicut & ægritudines cadunt ſub practica ſcientia medici, in quantum per artem ſuam curat eas.

V. Dices ſecundo, Menſuratus non eſt cauſa menſuræ; ſed ſcitum eſt menſura ſcientiæ; ergo &c.

Reſpondeo diſt. min. ſcientiæ creatæ, conc. min. ſcientiæ divinæ, nego min. Ita D. Th. hoc art. 8. ad 3. dicens, res naturales ſunt mediæ inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus a rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt. Unde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quam ſcientia noſtra, & menſura ejus: ita ſcientia Dei eſt prior, quam res naturales, & menſura ipſarum. Sicut aliqua Domus eſt media inter ſcientiam artificis, qui eam fecit, & ſcientiam illius, qui ejus cognitionem ex ipſa jam facta capit.

§. II.

Quomodo Scientia Dei ſit cauſa rerum.

SIcut Scientiam eſſe cauſam rerum, omnibus exploratum eſt; ita controvertitur modus, quo ad res cauſandas ſe habeat: an ſcilicet pure directive, an vero immediate effective, ita ut ſcientia ſit ipſa potentia executiva: & an ſola ſcientia ſit cauſa, an voluntas, vel utraque ſimul. Hæc omnia §. præſenti, & ſequentibus breviter reſolvemus.

VI. Dico. Scientia practica Dei eſt cauſa rerum, non ſolum directiva, ſed proxime, & immediate effectiva. Hoc teſtantur loca Sacr. Script. ſupra laudata, præſertim illud Jo. 1. ubi de Verbo, quod eſt Sapientia Patris dicitur; omnia per ipſum facta ſunt. Quæ fuſe exponens S. Auguſt. tract. in Joannem: Univerſa enim (inquit) Creatura per ipſum facta eſt, major, minor: per ipſum facta ſunt ſupera, infera, ſpiritualis, corporalis per ipſum facta ſunt &c. Addo, Gen. 1. referri rerum omnium creationem per verbum Dixit v. 3. dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux: v. 6. dixit quoque Deus, fiat firmamentum ... & factum eſt ita: unde Pſalm. 148. v. 5. ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt; ſed dictio, & locutio interna pertinet ad intellectum, ideoque, quia Verbum procedit per dicere notionale; omnes Theologi docent, procedere per intellectum; ergo &c. Rurſus Fiat denotat actum imperantis, intimantis; ſed actus imperii eſt formaliter actus intellectus practici, ſolus enim intellectus eſt ordinativus, juxta illud: ſapientis eſt ordinare; ergo &c. Præterea dum ponitur dixit, fiat, & immediate ſubditur, & facta ſunt, & factum eſt; quid aliud indicatur, niſi inter actum Dei dicentis, ordinantis, & rerum creationem nihil mediare, & propterea divinam ſcientiam practicam eſſe, non ſolum directivam, ſed immediate effectivam? Hinc Div. Auguſt. in Pſalm. 148. Per quid (inquit) facta ſunt? Per Verbum. Quomodo hic oſtendit, quia per Verbum facta ſunt? Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Nemo dicit, nemo mandat, niſi Verbo.

VII: Prob. deinde ratione D. Thomæ hic art. 8. ſuperius inſinuata. Sic ſe habet ſcientia Dei ad res creatas, ſicut ars, & ſcientia artificis ad res artificiatas; ſed ars, & ſcientia artificis eſt cauſa artificiati, non ſolum directiva, ſed etiam effectiva; ergo ſcientia Dei &c. Minor probatur primo, ex D. Thoma; tum 1. 2. q. 57. art. 3. ubi ait: Ars proprie loquendo habitus operativus eſt: tum in 1. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 1. ubi habet hæc verba: ſicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam: ita conſideranda eſt cauſalitas divinæ ſcientiæ. Eſt ergo iſte proceſſus in productione artificiati: primo ſcientia artificialis oſtendit finem: ſecundo voluntas ejus intendit finem illum: tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod ſcientia artificis ponit formam conceptam; ſed qui ponit formam, effective producit; ergo ſcientia artificis effective &c.

Secundo probatur eadem min. ex eodem S. Doctore hoc art. 8. dicente; Scientia artificis eſt cauſa artificiatorum, eo quod artifex operatur per ſuum intellectum. Unde oportet, quod forma intellectus ſit principium operationis, ſicut calor eſt principium calefactionis; ergo ſicut calor eſt principium quo effectivum calefactionis, ita ars, & ſcientia artificis, quæ eſt forma intellectus, erit principium effectivum artefacti, & conſequenter intellectus ipſe.

VIII. Sed dices. Si Scientia Dei eſſet cauſa rerum effectiva, vera eſſet hæc cauſalis, ideo res futuræ ſunt, quia ſciuntur a Deo; ſed hæc cauſalis falſa eſt: immo potius vera eſt oppoſita; ergo &c. Min. prob. ex Origene lib. 7. ſuper epiſt. ad Rom. ad illa verba: quos vocavit, hos & juſtificavit: ubi ait: Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum: ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur a Deo, antequam fiat. —Secundo, S. Juſtin. in lib. q. contr. gentil. q. 58. non eſt (inquit) prænotio cauſa ejus, quod futurum erat, ſed quod futurum erat, cauſa prænotionis: non enim prænotionem ſequitur res futura; ſed rem futuram prænotio. Tertio D. Hieron. in c. 26. Jerem. non quia Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt, ſed quia futurum eſt, novit Deus, quia præſcius futurorum. Damaſc. Dialog. contr. Manichæos nu. mihi 79. ait: Porro Dei præſcientia certa, & inviolabilis eſt: ſed ipſa non eſt cauſa, cur omnino fiat id, quod futurum eſt: quin potius, quia hoc, vel illud acturi ſumus, idcirco prænoſcit. — Ut hæc, & ſimilia, quæ ex Patribus producunt adverſus nos, præſertim Molinæ ſequaces, ut ſuæ ſcientiæ mediæ ſternant viam, diluantur, ſit

§. III.

An Deus ſciat res, quia futuræ ſunt.

IX. DIco. Deus non ſcit, aut præſcit futura, quia in ſe futura ſunt; ſed ideo futura ſunt, quia ea præſcit Deus. Hoc tradit S. Auguſtinus paſſim. Lib. ult. confeſſ. c. ultimo; nos itaque (inquit) iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt: Tu autem quia vides, ea ſunt ... Tu autem ibi vidiſti facta, ubi vidiſti facienda. Item lib. 5. de Trinit. c. 19. Non enim hæc, quæ creata ſunt, ideo ſciuntur a Deo, quia facta ſunt: ac non potius ideo facta ſunt, vel mutabilia, quia immutabiliter a Deo ſciuntur; & lib. 14. de Trinit. c. 13. aſſignans diſcrimen inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram ait: Univerſas autem creaturas ſuas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo novit: ſed ideo ſunt, quia novit ... Quia ego ſcivit, creavit, non quia creavit, ſcivit. Nec aliter ſcivit creata, quam creanda; ſed ſcivit creata, non quia eſſent, ſed faciendo, ut eſſent; ergo ſcivit creanda, ſeu futura, non quia creanda, & futura eſſent, ſed faciendo, ut creanda eſſent, ac futura. Demum l. 6. de Geneſi ad litt. c. 16. probat, illud ſolum vere eſſe futurum, non quod in natura rei, ſed in Dei voluntate eſt, ac præſcientia. Eſt quippe (inquit) in natura hujus, verbi gratia, juvenis, ut ſeneſcat, ſed utrum hoc etiam ſit in Dei voluntate, neſcimus; ſed nec in natura eſſet, niſi in Dei voluntate prius fuiſſet, qui condidit omnia. Et c. 17. Hoc enim neceſſario futurum eſt, quod ille vult, & ea vere futura ſunt, quæ ille præſcivit. Inferius autem loquens de Ezechia, cui ægrotanti prænuntiata mors fuerat, quæ tamen ſecuta non fuit, ait: ſecundum igitur aliquas cauſas inferiores, jam vitam finierat; ſecundum illas autem, quæ ſunt in voluntate, & præſcientia Dei, qui ex æternitate noverat, quid illo tempore facturus erat (& hoc vere futurum erat) tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam. Clarius explicare non poterat, præſcientiam Dei innixam voluntati eſſe cauſam faciendorum, & futurorum.

X. Præterea Boethius lib. 5. de conſolat. proſa 3. concilians divinam præſcientiam cum rerum contingentia, & noſtra libertate ſic ait: Neque enim illam probo rationem, qua ſe quidam credunt, hunc quæſtioni nodum poſſe diſſolvere. Ajunt enim, non ideo quid eſſe eventurum, quoniam id providentia futurum eſſe proſpexerit: ſed e contrario potius, quoniam quid futurum eſt, id divinam providentiam latere non poſſit. Ecce modum conciliandi divinam præſcientiam cum contingentia rerum, quem Moliniſtæ propugnant, & quem improbat Boethius, & poſt multa ſubdit. Jam vero quam præpoſterum eſt (hoc eſt, perverſum, ut exponit D. Thom. ibi) ut æternæ præſcientiæ temporalium rerum eventus cauſa eſſe dicatur? Quid eſt autem aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam ſunt eventura, providere, quam putare, quæ olim acciderunt, cauſam ſummæ illius eſſe providentiæ? Ita Boethius. Ita, ut vidimus, Auguſtinus, ita, ſi velis, Gregorius l. 20. mor. c. 32. alias 32. nam & quæque ſunt, non in æternitate ejus ideo videntur quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur. Et lib. 32. c. 5. alias 6. non exiſtentia videndo creat; exiſtentia videndo continet. Ita dicit D. Greg. Ita dicimus & nos.

XI. Probo ergo ſic ex Boethio laudato. Si res non ideo eſſent futuræ, quia videntur a Deo, ſed potius ideo viderentur a Deo, quia ſunt futuræ, jam æternæ Dei præſcientiæ temporalium rerum eventus cauſa eſſe diceretur; ſed hoc eſt præpoſterum, inquit Boethius, vel perverſum, ut ait D. Thomas, ergo &c. Major, præterquam quod eſt Boethii, probatur ex D. Th. q. 2. de verit. art. 14. In omni ſcientia oportet, quod vel ſcientia ſit cauſa ſciti, vel ſcitum ſit cauſa ſcientiæ, vel utrumque ab una cauſa cauſetur; ſed hæc tertia cauſa cauſans ſcientiam Dei, & futurum, eſt impoſſibilis: Scientia autem Dei ſecundum Adverſarios non eſt cauſa ſciti, nempe futuri eventus; ergo oportet, quod ſcitum, nempe eventus futurus ſit cauſa divinæ ſcientiæ. Min. prob. Tum quia ex D. Thom. relato res ſcitæ a Deo ſunt temporales, & ſcientia Dei eſt æterna: ſed temporale non poteſt eſſe cauſa æterni; ergo &c. Tum etiam, ut docet idem S. Doct. 1. 2. q. 93. art. 1. ad 3. ratio intellectus divini aliter ſe habet ad res, quam ratio humani intellectus. Intellectus enim humanus eſt menſuratus a rebus, ut ſcilicet conceptus hominis non ſit verus propter ſeipſum, ſed dicitur verus ex hoc, quod conſonat rebus. Ex hoc enim, quod res eſt, vel non eſt, opinio vera, vel falſa eſt. Intellectus vero divinus eſt menſura rerum: quia unaquæque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum ... Et ideo intellectus divinus eſt verus ſecundum ſe: Unde ratio ejus eſt ipſa veritas. Tunc ſic. At ſi ideo futura ſcirentur a Deo, quia in ſe futura ſunt, futura non haberent veritatem ab intellectu divino, ſed viceverſa intellectus divinus, ſeu divina ſcientia acciperet veritatem ab ipſis futuris: in tantum enim divina ſcientia de Anti-Chriſto futuro vera eſſet, quia verum eſt, Anti-Chriſtum in ſe futurum eſſe; ergo &c.

XII. Confirmatur. Eodem modo diſcurrendum eſt de intellectu, vel ſcientia divina, ac de ejus voluntate, & amore; ſed voluntas, & amor divinus non ſupponit bonitatem in creaturis, ſed bonitatem, amando eas, in eis facit: nec ideo amat illas, quia ſunt bonæ, ſed ideo ſunt bonæ, quia a Deo amantur: nam, ut ait D. Th. hac 1. p. q. 20. art. 2. amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus: ergo ſimiliter ſcientia Dei non ſupponit veritatem in rebus, ſed hanc in eis facit, nec ideo ſciuntur a Deo, quia ſunt veræ, ſed ideo ſunt veræ, quia a Deo ſciuntur. Eo vel maxime, quod ſicut divina voluntas, ita divina ſcientia eſt cauſa rerum.

XIII. Urgeo hoc. Cum Adverſarii aſſerunt, ideo Deum præſcire res futuras, quia futuræ ſunt, vel intendunt, quod ly ideo,

ideo, & ly quia uſurpentur in ſenſu pure illativo, vel in ſenſu cauſali, ſaltem objectivo. Si primum; nobiſcum loquuntur: id enim nec nos negamus, ut ſtatim dicam. Si vero ſecundum, ut revera ex eorum principiis dicere debent; ergo ſcientia divina objective cauſatur, ejuſque veritas exemplatur a veritate creata. Si enim veritas divinæ ſcientiæ in nullo genere cauſæ penderet a veritate creata, hæc cauſalis, ideo futura ſciuntur a Deo, quia futura ſunt, nullo modo eſſet vera, quia ad veritatem cauſalis non ſufficit, ut ſit bona illatio, ſed ulterius requiritur, ut antecedens ſit aliquomodo cauſa conſequentis: ac propterea iſta cauſalis eſſet etiam vera, ideo ſcientia Dei de exiſtentia futurorum vera eſt, quia futura vera ſunt, ſeu, quia ea eſſe futura, verum eſt. Ex quo ſequeretur, etiam ſcientiam divinam ſpecificari a futuris cognitis: quod ſuperius de poſſibilibus refutavimus.

XIV. Nunc reſpondendum eſt ad ea, quæ ſuperius objecta ſunt in contrarium. Ad primum ex Origene reſpondet S. Th. hoc art. 8. ad primum, quod Origenes locutus eſt attendens rationem ſcientiæ, cui non convenit ratio cauſalitatis, niſi adjuncta voluntate. Sed quod dicit, ideo præſcire Deum aliqua, quia ſunt futura, intelligendum eſt ſecundum cauſam conſequentiæ, non ſecundum cauſam eſſendi. Sequitur enim, ſi aliqua ſunt futura, quod Deus illa præſcierit; non tamen res futuræ ſunt cauſa, quod Deus ſciat. Ita reſpondet etiam qu. 2. de verit. art. 14. a. 1. ubi addit, quod intentio Origenis eſt dicere, quod ſcientia Dei non eſt cauſa, quæ inducat neceſſitatem in ſcito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus illud ſcit. Quod autem dicit, quia futurum eſt, ideo ſcitur a Deo, non importatur cauſa eſſendi, ſed cauſa inferendi tantum. Sed de Origene non eſt cur ſoliciti ſimus, ut infra.

XV. Ad ea, quæ objiciuntur ex aliis Patribus, vel eodem modo reſpondendum eſt, nimirum, dum dicunt, non ideo eſſe futura, quia præſciuntur, vel loqui de præſcientia ſecundum rationem communem præſcientiæ, ut non habet adjunctam voluntatem, vel ut abſtrahit a divina, & creata: vel ſolum velle indicare, divinam præſcientiam non eſſe cauſam unicam excludentem cauſam ſecundam liberam, & inducentem neceſſitatem: dum vero dicunt, ideo a Deo præſciri, quia ſunt futura, ſolum deſignare, futura eſſe cauſam præſcientiæ, non quidem cauſam eſſendi, ſed cauſam conſequentiæ. Quod S. Thomas, vel alter ſuo nomine repetit ſuper Boeth. lib. 5. de conſol. proſa 6. ubi poſt relatam ſcientiam Origenis, ait: Quod tamen poteſt intelligi dupliciter. Uno modo, quod eventus rei ſit cauſa præſcientiæ ſecundum rationem conſequentiæ: & ſic reſponſio eſt vera. Alio modo poteſt intelligi, quod eventus rei ſit cauſa præſcientiæ ſecundum exiſtentiam: & ſic eſt falſa, & improbatur a Boethio. Quibus addo, præfatos Patres manifeſte loqui de peccatis, de quibus veriſſimum eſt dicere, quod non ideo ſint futura, quia a Deo ſciuntur; cum ſcientia Dei cauſa non ſit, ut illa ſint: eſt enim cauſa rerum, ut approbationis eſt; peccata autem Deus non approbat, ſed improbat potius.

XVI. Et quidem S. Juſtinum (vel quiſquis alius ſit) de peccatis loqui, manifeſtum eſt. Reſpondebat enim huic interrogationi: Quomodo ergo non eſt proditionis Judæ, & jurisjurandi Sacramento confirmatæ negationis Petri cauſa, qui hæc præſciverit, & non impediverit? cui ita ſatisfacit: Chriſtus Scripturæ impletionis cauſa fuit, non Judæ proditionis, nam hujus ipſemet Judas cauſa fuit, quam Deus fore cum prænoſceret, per Sacram Scripturam prædixit: Deinde ſubjicit verba ab arguente prolata.

XVII. Porro D. Hieronymus citato loco intendit ſolum, Dei præſcientiam non inferre ſcitorum neceſſitatem. Ait enim ſuper illa verba Jerem. Si forſitan audiant, & convertantur. Verbum ambiguum forſitan majeſtati Domini non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu: ut liberum homini ſervetur arbitrium: ne ex præſcientia ejus, quaſi neceſſitate, vel facere quid, vel non facere cogatur.

XVIII. Damaſcenus autem ſolum aſſignare vult differentiam inter ea, quæ Deus præſcit, ut facienda a ſe ſolo ſine nobis, & ea, quæ præſcit, ut facienda non a ſe ſolo, ſed per noſtram liberam voluntatem, quod priorum Deus ſolus ſine nobis cauſa eſt: poſteriorum vero non eſt cauſa, neque præſcius ſine nobis. Ac vis quidem (inquit) Dei præſciens, cauſam ex nobis nequaquam habet. Verum, ut quæ facturi eſſemus, præſciat, hoc a nobis proficiſcitur (ut a conditione ſcilicet, vel, ſi mavis, ut a cauſa proxima: ſubdit enim) niſi facturi eſſemus, ne ipſe quidem, quod futurum non eſſet, præcognoſceret. At cum non ſimus facturi bonum ſine illo, qui facit, ut faciamus, & qui dixit, faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, ejus etiam, quod nos libere facturi ſumus, cauſam eſſe (eſto non ſolam) divinam præſcientiam, negare non potuit Damaſcenus.

XIX. Quia tamen contra Manichæos tunc illi res erat, qui liberum arbitrium ab homine auferebant: ideo ſic viſus eſt eventuum liberorum futuritionem humano arbitrio contuliſſe, quaſi ab illo futuritio proficiſcatur. Mos enim eſt Veterum, dum unum errorem inſectantur, ita loqui, ut ad extremum declinare videantur. Eo vel maxime, quia (ut notat noſter P. Le Quien in Damaſcen. lib. 2. de Fide c. 30.) cum in Oriente Pelagianus error contra Gratiam Dei nullas radices egiſſet, non fuerunt Patres Græci adeo ſoliciti in ſecernendis divinæ gratiæ partibus, & præſcientiæ efficacia adſtruenda, ne viderentur cum Gnoſticis, & Manichæis ſentire, quod Deus ita præſciat actiones malas, ſicut & bonas. Quod præ oculis habendum eſt in hac materia.

XX. Sed circa reſponſionem datam Patrum auctoritatibus ex D. Thoma, nimirum, quod, dum Patres dicunt, ideo Deus novit res futuras, quia futura ſunt, ly ideo, & ly quia debet ſumi in ſenſu, non cauſali, ſed illativo, nempe quod, ſi futura ſunt, ſequitur, quod ſciantur a Deo, occurrit dubium. Etenim in altera propoſitione adverſativa, quam Patres conjungunt, nempe, non ideo futura ſunt, quia Deus novit, vel ly ideo, & ly quia ſumitur in ſenſu pure illativo, vel in ſenſu cauſali. Si ſumitur in ſenſu pure illativo; propoſitio erit falſa: non enim minus infertur ex præſcientia Dei futuritio rei, quam ex rei futuritione præſcientia. Quod ſi in hac propoſitione negativa ly ideo, & quia ſumitur in ſenſu cauſali; cur non erit in eodem ſenſu accipiendum in altera affirmativa propoſitione? Sane in propoſitione hypothetica adverſativa una negante, alia affirmante, vel utraque in ſenſu illativo ſumi debet, vel utraque in ſenſu cauſali; ergo vel Patres parum dialectice locuti ſunt, vel reſponſio data a D. Thoma non ſubſiſtit.

Secundo, ideo negamus, Deum præſcire bona opera futura, quia futura: quia hæc eſſent menſura ſcientiæ divinæ; ſed hæc ratio non evincit; ergo &c. Min. prob. Concedimus, Deum præſcire peccata futura, quia futura: horum enim cauſa Deus non eſt; & tamen admittimus, ſcientiam Dei menſurari a peccatis futuris; ergo &c.

Tertio, Juſtinus præcitatus expreſſe aſſerit, futuritionem rei cauſam eſſe divinæ prænotionis: non eſt (inquit) prænotio cauſa ejus, quod futurum eſt, ſed quod futurum eſt, cauſa eſt prænotionis. Et Origenes rationes addens dicit: etſi fingamus, Deum non præcognoſcere aliquid futurum: tamen futurum ſine dubio erit; ſed id, quo oblato, adhuc res eſt, non poteſt eſſe rei cauſa; ergo &c.

XXI. Reſpondeo ad primum, quod eſto ex præſcientia æque inferatur futuritio, ac ex futuritione præſcientia; primum tamen Patres non admiſerunt, etſi verum cognoſcerent: quia loquebantur contra illos, qui ex Dei præſcientia concludebant, nos agere neceſſario; ideo, ut illis ſe opponerent, dicebant Patres, non ideo aliquid erit (ſcilicet neceſſario) quia id ſcit Deus futurum. Addo, Adverſarios non poſſe nos juſte corripere, quod præfatas Patrum ſententias non in ſenſu cauſali, ſed illativo exponamus, cum ſententias Auguſtini, Gregorii, & Boethii a nobis ſuperius adductas, in ſenſu illativo, non cauſali, & ipſi interpretentur.

Ad ſecundum nego min. Ad prob. dico primo, Deum præſcire peccata futura, quia futura, non ea præſciendo in ſe ipſis, ſed in ſuo decreto permiſſivo, quo ſtatuit denegare gratiam: ex quo infallibilitate logica peccatum evadit futurum. Dico ſecundo, nos cum Patribus admittere hanc propoſitionem, Ideo Deus novit peccata futura, quia futura ſunt, in ſenſu illativo, non cauſali alias peccata futura eſſent menſura ſcientiæ divinæ.

Ad tertium dato, quæſtiones illas eſſe Juſtini (ſpurias enim eſſe, ſentiunt Eruditi) Reſpondeo cum D. Thom. ſupra laudato, verba illa intelligenda eſſe ſecundum cauſam conſequentiæ, non ſecundum cauſam eſſendi; vel cum D. Bonaventura in 2. diſt. 38. res futuras non eſſe cauſam ſcientiæ Dei ſecundum rationem eſſendi, ſed eſſe cauſam ſcientiæ Dei ſecundum rationem dicendi, quia ſcilicet illa ſcientia non vocaretur præſcientia, niſi res eſſent futuræ.

Origenes autem loquitur de peccatis futuris; horum enim cum divina ſcientia cauſa non ſit, bene dici poteſt, quod, etſi fingamus, Deum ea non præcognoſcere, adhuc tamen ſine dubio erunt. Vel dici poteſt, Origenem locutum fuiſſe de ſcientia Dei ſecundum rationem ſcientiæ: ſcientia enim ſecundum rationem ſcientiæ non dicit aliquam cauſalitatem, ut docet D. Thomas in 1. diſt. 38. q. 1. art. 1. ſed in quantum eſt ſcientia artificis operantis res: ſic enim habet rationem cauſæ reſpectu rei operatæ per artem.

XXII. Sed nimis immorati ſumus in examinandis Veterum dictis, qui Auguſtini tempora præceſſerunt. Illis enim agendum erat contra humani arbitrii everſores Manichæos; unde ad tuenda liberi arbitrii jura intenti, de rigido loquendi modo non fuerunt ſoliciti. At Auguſtini temporibus, quibus Manichæis liberum arbitrium extinguentibus, Pelagiani illud nimium extollentes, e regione ſteterunt, res aliter tractanda fuit, humanum nempe arbitrium ſtatuendum quidem, ſed divinæ præſcientiæ, prædeſtinationis, & gratiæ principatus conſervandus erat; quapropter ſic oportuit de libero arbitrio moderatius loqui, & divinæ præſcientiæ, & gratiæ vim, & cauſalitatem extollere: quod & veteres illi præſtitiſſent, ſi in talibus circumſtantiis fuiſſent. Hoc S. Auguſtin. lib. de Prædeſtinat. SS. præmonuit SS. Proſperum, & Hilarium (qui ad eum ſcripſerant, multos ex fratribus conqueri, quod ſuam de gratia ſententiam, Veterum, qui eum præceſſerant, teſtimonio non confirmaret) cap. 14. ſic dicens: Certe ſi de Divinarum Scripturarum tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem defenſionem hujus ſententiæ, quam nunc ſolito diligentius, atque copioſius contra novum Pelagianorum defendere urgemur errorem .... Si hujus ergo ſententiæ defenſionem ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus Catholicis tractatoribus promerem, profecto hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquieſcerent: hoc enim ſignificaſtis litteris veſtris. Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? Unde factum eſt, ut de Gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis attingerent: immorarentur vero in eis, quæ adverſus inimicos Eccleſiæ diſputabant, &c. Ita ergo interpretanda ſunt veterum teſtimonia, dum agitur de præſcientia Dei, ut ea ſecundum mentem Auguſtini, quem Deus ſuſcitavit in gratiæ ſuæ defenſionem, intelligamus.

D u b i u m IV.

An Scientia Dei ſit formaliſſime ipſa potentia immediate executiva, & productiva.

§. I.

Reſolvitur de Natura Divina.

I. Dico primo. Natura Divina, ut præintellecta ad divina attributa, non eſt formaliter, & immediate potentia operativa. Eſt contra Aureolum in 1. *diſt.* 45. *art.* 1. & Suarez in Metaph. *diſp.* 30. *ſect.* 17. & alios. Probatur vero ſic. Potentia immediate factiva rerum eſt de genere earum perfectionum, quæ reſpiciunt creaturas; ſed natura divina, ut præintellecta ad attributa, eſt perfectio omnino abſoluta ab omni connotatione, & reſpectu ad creaturas, & quodcumque extrinſecum; ergo &c. Major videtur certa, quia potentia immediate operativa nequit intelligi ſine reſpectu ad factibilia. Minor prob. natura divina debet a nobis concipi, ut magis in ſe abſoluta, quam attributa: ſicut ſubſtantia creata magis abſoluta eſt ab omni extrinſeco, quam ſuæ proprietates; unde ſicut ſubſtantia creata non eſt operativa, niſi radicaliter: multo potiori jure idem dicendum erit de natura divina.

II. Sed dices primo. Eſſentia, ſeu natura divina neceſſario connectitur cum creaturis poſſibilibus, ita, ut, ſi iſtæ deſtruerentur, natura divina non ſubſiſteret; ergo natura divina non eſt abſoluta ab omni ordine ad creaturas.

Reſpondetur, diſt. antec. connectitur connexione mediata, & radicali, conc. antec. connexione immediata, & proxima, neg. antec. & ſimiliter diſt. conſeq. Cum enim natura divina immediate connectatur cum omnipotentia, ſequitur, eam ſaltem mediate connecti, & dicere ordinem ad creaturas poſſibiles. Ex quo infertur, eam eſſe quidem principium radicaliter operativum, non vero proximum, & immediatum.

III. Dices ſecundo. Major perfectio explicatur in hoc, quod divina natura ſit immediate operativa, quam in hoc, quod ſit operativa tantum radicaliter; ergo &c. Ant. prob. Nam ſubſtantiam non eſſe immediate operativam oritur ex limitatione, dicit enim indigentiam alterius ſaltem virtualiter diſtincti, ut operetur.

Reſpondetur, diſt. ant. major perfectio &c. de linea naturæ, nego ant. de linea attributi, conced. antec. Immediate enim operari non eſt perfectio de linea naturæ, quæ de ſua linea petit eſſe radicem operandi: eſſe autem immediate operativum eſt extra lineam naturæ; quæ idcirco majorem explicat perfectionem, quia major perfectio eſt eſſe abſolutum, & ad ſe, quam eſſe ad aliud extra ſe, qualis eſt potentia immediate operativa, quæ reſpicit producibile.

IV. Dices tertio. Deus non agit ad extra, niſi quatenus infinitus in linea entis; ergo agit immediate ratione ſui eſſe, ſecundum quod continet omnem perfectionem creabilem; ſed eſſe per eſſentiam eſt conſtitutivum naturæ divinæ, ut diximus; ergo &c.

Reſpondetur, nego conſequentiam. Solum enim ſequitur, quod ipſum eſſe per eſſentiam ſit radix, ex qua emanet potentia factiva omnium, quæ quocumque modo participant eſſe.

V. Dices quarto. D. Thom. 1. *p. qu.* 25. *artic.* 5. *ad* 1. concludit ſic: *Ideo enim Deus aliquid facit, quia vult: non tamen ideo poteſt, quia vult, ſed quia talis eſt in ſui natura*: ergo ipſa Natura Divina eſt potentia immediate operativa.

Reſpondetur, neg. conſeq. quæ non infertur ex verbis D. Thomæ. Ibi enim ſolum intendit aſſignare diſcrimen inter facere, & poſſe facere in Deo, quod actu facere eſt Deo liberum, & ideo *faciat, quia vult*: At poſſe facere convenit ei, *quia talis eſt natura*, ideſt, illi liberum non eſt, ſed naturale, & neceſſarium, ſeu quod ex ſua natura ei conveniat potentia faciendi. Ex quo arguitur, naturam divinam eſſe radicem potentiæ operativæ.

§. II.

An potentia operativa ſit a linea intellectiva, & volitiva diſtincta.

VI. Vidimus naturam divinam non eſſe immediate, & ratione ſui operativam; ſed omnipotentiam, ſeu virtutem proxime operativam eſſe attributum virtualiter a natura divina diſtinctum. Modo quærimus, an ſit attributum a linea intellectiva, & volitiva diſtinctum.

VII. Dico ſecundo. Omnipotentia non eſt attributum a linea intellectiva, & volitiva diſtinctum. Eſt magis conſona menti D. Th., tum hac *q.* 14. *art.* 8. ubi ait: *neceſſe eſt, quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum ſecundum quod habet voluntatem conjunctam.* Tum *q.* 2. *de potentia art.* 5. ubi ſtatuit, potentiam generativam in Deo eſſe omnipotentiam ut in Patre; ſed potentia generativa in Deo eſt de linea intellectiva: cum ſit intellectus ut in Patre; ergo &c. Unde D. Auguſt. contra Maximin. Arianum *lib.* 1. *c.* 7. ſi Pater Filium generare non potuit, *ubi eſt*, inquit, *Omnipotentia Dei Patris?*

VIII. Secundo prob. Deus eſt naturæ ſumme ſpiritualis, & pure intellectualis; ſed in natura ſpirituali, & pure intellectuali non datur alia potentia, quam intellectiva, & volitiva, nec alia actio, quam intelligere, & velle; ergo &c. minor probatur ex D. Th. tum 1. *p. q.* 54. *a* 5. ubi de Angelis ſic habet: *Angeli autem non habent corpora ſibi naturaliter unita ... Unde de viribus animæ non poſſunt eis competere, niſi intellectus, & voluntas.* Quod repetit infra *q.* 79. *art.* 1. *ad* 3. Et *q.* 16. *de malo art.* 1. *ad* 14. ait; *quod in Angelo, aut Dæmone, ſi incorporei ponantur, non eſt alia potentia, neque operatio, niſi intellectus, & voluntas. Unde Dionyſius dicit* 4. *de Div. Nominibus, quod intellectuales ſunt omnes eorum ſubſtantia, virtutes, & operationes*: & rationem reddens ſubdit: *Oportet enim, quod virtus, & operatio cujuslibet rei conſequatur naturam ipſius: Angelus autem non eſt intellectualis ſecundum partem, ſicut anima; ſed ſecundum ſuam totam naturam intellectualis eſt: unde nulla virtus, ſeu potentia in Angelo poteſt eſſe, niſi pertinens ad apprehenſionem, vel appetitum intellectualem.* Unde infert, Angelos *ſolo imperio voluntatis* movere aliqua corpora, motu duntaxat locali. Si ergo in Angelo, quia naturæ puræ intellectualis omnis virtus, & operatio pertinet ad lineam intellectus, & voluntatis, & nulla alia virtus, & operatio in eo datur: quanto magis in Deo, qui puriſſime intellectualis eſt?

IX. His præcluditur quorumdam reſponſio dicentium, D. Thomam loqui ſolum de actione immanente: non de actione tranſeunte, qualis eſt actio potentiæ operativæ ad extra.

Nam D. Th. loco allato concludit, Angelos ſolo imperio voluntatis movere localiter corpora, non ſibi unita; ergo loquitur de actione operante ad extra. Tum etiam, in Deo nulla actio formaliter tranſiens extra ipſum reperitur, cum omnis ejus actio ſit ſua ſubſtantia. Quare S. Doctor 1. *p. q.* 25. *art.* 1. *ad* 3. admittit quidem in Deo potentiam *quantum ad hoc, quod eſt principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod eſt principium actionis, quæ eſt divina eſſentia, niſi forte ſecundum modum intelligendi, prout divina eſſentia, quæ in ſe ſimpliciter præhabet quidquid perfectionis eſt in rebus creatis, poteſt intelligi, & ſub ratione actionis, & ſub ratione potentiæ; ſicut etiam intelligitur, & ſub ratione ſuppoſiti habentis naturam, & ſub ratione naturæ.* Hæc D. Th. Ibi autem, & in tota illa quæſtione loquitur de potentia, & actione ad extra.

X. Hoc idem docet S. Doctor 2. *contra Gentes cap.* 23. ratione quarta, ubi poſtquam dixit, quod *duplex eſt actio, una, quæ manet in agente, & eſt perfectio ipſius, ut videre: alia, quæ tranſit in exteriora, & eſt perfectio facti, ſicut comburere in igne*, ſubjungit: *Divina autem actio non poteſt eſſe de genere illarum actionum, quæ non ſunt in agente, cum ſua actio ſit ſua ſubſtantia, ut in primo* (c. 45.) *oſtenſum eſt. Oportet igitur, quod ſit de genere illarum actionum, quæ ſunt in agente, & ſunt, quaſi perfectio ipſius. Hujuſmodi autem non ſunt niſi actiones cognoſcentis, & appetentis. Deus igitur cognoſcendo, & volendo agit, & operatur.*

XI. At oppoſitum ex eodem D. Thoma objicitur in hac 1. *p.* tum *q.* 19. *art.* 4. *ad* 4. ubi ait: *Ejuſdem effectus ſcientia eſt cauſa ut dirigens, & voluntas ut imperans; ſed potentia eſt exequens, quia nominat principium immediatum actionis.* Tum *q.* 25. *art.* 1. *ad* 4. his verbis: *Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid diſtinctum a ſcientia, & voluntate ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum rationem, in quantum ſcilicet potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit, quæ tria Deo ſecundum idem conveniunt.* Tum denique *q.* 27. *art.* 5. *ad* 1. ubi cum ſibi oppoſuiſſet, præter proceſſionem Verbi per intellectum, & proceſſionem Amoris per voluntatem, oportere, ut detur tertia, ratione potentiæ, reſpondet: *dicendum, quod potentia eſt principium agendi in aliud. Unde ſecundum potentiam accipitur actio ad extra. Et ſic ſecundum attributum potentiæ non accipitur proceſſio Divinæ Perſonæ, ſed ſolum proceſſio creaturarum.* Ergo admittit potentiam ut attributum diſtinctum ab intellectu, & voluntate.

XII. Reſpondeo, præfata teſtimonia non evincere, quod potentia executiva in Deo conſtituat attributum diverſum a divino intellectu adæquate, ſed ſolum nominare particularem, & inadæquatum reſpectum divini intellectus, quatenus res non pure contemplatur, ſed de facto ponit in eſſe: Idem enim intellectus, quatenus proponit voluntati, quæ facienda ſunt, eſt dirigens, quatenus vero adjunctam habens voluntatem dicit, ut fiant, eſt exequens. Et hoc intendit S. Doctor in primo teſtimonio.

Cum vero in ſecundo teſtimonio dicit, potentiam poni in Deo, ut aliquid ſecundum rationem diſtinctum a ſcientia, & voluntate, non ſentit diſtinctam eſſe ſecundum rationem adæquatam, ſed tantum ratio diverſæ connotationis inadæquatæ, quatenus ſcientia, ut eſt potentia executiva, connotat factibile, quod, ut ſcientia præciſe non connotat. Et propterea ibi S. Doctor quaſi ſe explicans addit: *Vel dicendum, quod ipſa ſcientia, vel voluntas divina, ſecundum quod eſt principium effectivum, habet rationem potentiæ.* Scio, hæc verba an vere D. Thomæ ſint, in dubium verti, & revera in codice antiquo, qui in hac noſtra Bibliotheca Bononienſi exiſtit, ea non deprehendi; in editione tamen Romana S. Pii V. reperiuntur.

Cæterum, ut omne dubium de mente S. Doctoris evaneſcat, adiri poteſt *quæſt.* 2. *de potentia art.* 5. & 6. ubi aperte docet, quod potentia generandi (quæ in intellectu conſiſtit) & potentia creandi, ſunt eadem potentia ſecundum alium, & alium reſpectum ad alios, & alios actus, inadæquatos tamen, & ex ſolo modo concipiendi diverſos. Sicut enim intellectio, qua Verbum procedit, formaliter eminenter habet munus intelligendi, & ſimul producendi: Ita intellectio, ut ſecundario connotat creaturas, formaliter eminenter claudit munus dirigentis, imperantis executionem, & exequentis.

XIII. Objicies adhuc. Quæ diſtinguuntur realiter in creaturis, translata in Deum diſtinguuntur ſaltem virtualiter; ſed potentia executiva diſtinguitur realiter ab intellectu, & voluntate in creaturis; ergo &c.

Confir-

Confirmatur. Illæ potentiæ diſtinguuntur virtualiter in Deo, quæ habent diſtinctos actus, & diverſa objecta; at hujuſmodi ſunt potentia executiva, & intellectus. Actus enim intellectus divini eſt intelligere, objectum vero illius eſt ens divinum, ut verum intelligibile; At actus potentiæ executivæ eſt facere, ſeu producere, objectum vero illius eſt ens creatum, ut factibile; ergo &c.

XIV. Reſpondeo primo, negand. min. Et conſtat in Angelis, in quibus cum, ut ſupra diximus cum D. Thoma, non detur alia operatio, præter intelligere, & velle, non diſtinguitur potentia operativa ab intellectu, & voluntate.

Reſpondeo ſecundo, majorem eſſe veram, quando ea, quæ in creaturis diſtinguuntur, diſtinguuntur diſtinctione orta ex rationibus formalibus eorum: ſecus vero, ſi eorum diſtinctio oriatur ex limitatione, & potentialitate; ſicut accidit in nobis, in quibus potentia executiva realiter ab intellectu, & voluntate diſtinguitur, quia natura humana, cum non ſit pure intellectualis, & ſimplex, ſed mixta ex corpore, & ſpiritu, præter intellectum, & voluntatem indiget viribus, & potentia diſtinctis, quibus per organa corporalia ſuas operationes exerceat, & exequatur, ut docet D. Th. 1. *p. q.* 54. *art.* 5.

XV. Ad confirm. dico, eas quidem potentias diſtingui in Deo virtualiter, quæ habent diverſos actus adæquatos, & primarios, reſpiciuntque diverſa objecta formalia adæquata; & primario inſpecta, non vero ſi habeant diverſos actus inadæquatos, & reſpiciant diverſa objecta materialia tantum, & ſecundaria. Sic contingit in caſu. Actus enim imperii ordinantis executionem eſt quidem diſtinctus ab actu intellectus divini ſpeculativi, quo ſe ipſum cognoſcit, ſed tamen eſt actus intellectus practici, qui non in alio ab actu intellectus ſpeculativi ſcernitur; niſi quod conjunctum habet actum voluntatis. Similiter ens divinum eſt objectum formale, & primarium tam intellectus practici, quam ſpeculativi, hoc ſolo diſcrimine, quod intellectus practicus illud reſpicit, ut imitabile, & participabile a creaturis, quarum eſt exemplar, & idea: quod eſt addere ſolam connotationem ad objectum materiale, & ſecundarium.

XVI. Objicies tandem. Actiones intellectus, & voluntatis ſunt actiones immanentes, & æternæ; ſed actio potentiæ executivæ eſt actio tranſiens, & temporalis; ergo actio potentiæ executivæ non eſt actio intellectus &c. alias ſequeretur, quod res ab æterno fuiſſent productæ, quia non ſtat, dari ab æterno actualem productionem, & non dari ab æterno rem productam; hoc autem eſt contra fidem.

Reſpondetur, diſt. maj. ſunt æternæ quantum ad denominationem intelligentis, & volentis, conced. maj. quantum ad denominationem producentis ad extra, nego maj. Actio ergo divini intellectus practici duplicem denominationem dat Deo. Unam intelligentis, & volentis creaturas producere, & hæc eſt æterna. Aliam actu producentis illas, & hæc non debet eſſe ab æterno, ſed ſolum pro eo tempore, quo Deus voluit, eas de non eſſe tranſire ad eſſe. Cumque Deus decreverit, creaturas tranſire ad eſſe ſolum in tempore; ideo quamvis tota entitas actionis productivæ ſit ab æterno, ab æterno tamen non datur denominatio producentis, quia non datur connotatio requiſita ad talem denominationem, nempe paſſiva rerum ab æterno productio, Ita reſpondet S. Th. *hac q.* 14. *art.* 8. *ad* 2. dicens: *Scientia Dei eſt cauſa rerum, ſecundum quod res ſunt in ſcientia, non fuit autem in ſcientia Dei, quod res eſſent ab æterno. Unde quamvis ſcientia Dei ſit æterna, non ſequitur tamen, quod creaturæ ſint ab æterno.* Videatur etiam *q.* 2. *de verit. art.* 14. *ad* 2.

§. III.

An potentia operativa Dei formaliter, & in recto conſiſtat in intellectu, an in voluntate.

XVII. Dico tertio. Potentia immediate, ac formaliter executiva in Deo non eſt voluntas, ſed intellectus practicus, ut motus tamen, & applicatus a voluntate. Eſt expreſſa mens S. Th. hoc *art.* 8. ubi ait, *Oportet, quod forma intellectus ſit principium operationis, ſicut calor eſt principium calefactionis;* ſed calor eſt principium immediate productivum calefactionis; ergo forma intellectus &c. Quod vero ut forma intellectus ſit principium operationis debeat moveri ad voluntate; oſtendit S. Doctor ſubjungens: *ſed conſiderandum eſt, quod forma naturalis, in quantum eſt forma manens in eo, cui dat eſſe, non nominat principium actionis, ſed ſecundum quod habet inclinationem ad effectum: & ſimiliter in forma intelligibilis non nominat principium actionis, ſecundum quod eſt tantum in intelligente, niſi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ eſt per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad oppoſita ſe habeat, cum ſit eadem ſcientia oppoſitorum, non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur 9. metaph. text.* 10. Ex quibus patet, Voluntatem divinam ad productionem rerum comparari tamquam moventem, & determinantem intellectum ad producendum potius hoc, quam illud, & proinde non ut principium immediate, & ratione ſui productivum, ſed ut determinativum principii productivi, nempe intellectus. Quare concludit S. Doctor: *neceſſe eſt, quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum, ſecundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde ſcientia Dei, ſecundum quod eſt cauſa rerum, conſuevit nominari ſcientia approbationis.*

Hinc apparet, quomodo intelligendus ſit, ſi aliquando videtur dicere, voluntatem divinam eſſe cauſam rerum, immo principalitatem cauſalitatis tribuere voluntati, ut in 1. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. Exponendus enim eſt, quod nominet voluntatem cauſam, non immediatam, & executivam, ſed motivam, eique tribuat principalitatem cauſalitatis, quia determinat principium executivum, nempe ſcientiam, ut hoc potius producat, quam illud; & ut practica ſit, & non ſolum ſpeculativa.

XVIII. Probatur deinde ratione fundamentali. Illud attributum divinum eſt immediate productivum creaturarum, a quo immediate, & elicitive procedit actus, quo Deus creaturas producit; ſed talis actus non procedit elicitive a voluntate, ſed ab intellectu practico, ut moto a voluntate; ergo principium immediate productivum creaturarum non eſt voluntas, ſed intellectus practicus. Min. probatur. Deus producit creaturas per actus imperii, dictionis, & locutionis: *Dixit Deus, fiat lux: & facta eſt lux*: Gen. 1. v. 3. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*: *Pſalm.* 148. *v.* 5. Et Pſ. 52. v. 6. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*; ſed imperium eſt actus elicitus ab intellectu practico, ut docet Div. Thom. 1. 2. *qu.* 17. *art.* 1. dictio etiam, & locutio interna actus intellectus eſt: unde Verbum Divinum procedit per intellectum, quia procedit per dictionem, & locutionem Patris æterni; ergo &c. At de hoc ſuperius diximus.

XIX. Sed oppones primo varia Scripturæ dicta, quibus videtur divinæ voluntati tribuere creaturarum productionem. Pſ. 134. v. 6. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*. Judith. 9. v. 4. *Hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti*. Ad Epheſ. 1. v. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Reſpondetur, hæc, & alia, quæ poſſent afferri, ſolum probare, non quod potentia immediate cauſativa ſit voluntas, & non intellectus, ſed quod intellectus non ſit operativus, niſi ut adjunctam habens voluntatem, ut ipſum applicantem, & moventem ad exercitium. Cum enim actus, quo Deus formaliter res ad extra producit, ſit actus imperii, qui, eſto ſic actus elicitus ab intellectu, a voluntate tamen, ut ab applicante, & movente eſt; *unde* (ait D. Th. 1. 2. q. 17. art. 1.) *relinquitur, quod imperare ſit actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus;* propterea actum, quo Deus producit res ad extra, Scriptura modo tribuit voluntati applicanti ad operandum, modo intellectui exequenti applicationem.

XX. Oppones ſecundo. D. Thom. 1. *p. quæſt.* 19. *art.* 4. *ad* 4. dicit, quod *unius, & ejuſdem effectus .... ſcientia eſt cauſa ut dirigens ... voluntas ut imperans .... potentia eſt cauſa ut exequens*; ergo ſcientia in Deo concurrit ſolum directe, non executive: quod repetit 1. *p. qu.* 25. *art.* 1. *ad* 4.

Reſpondeo, diſt. conſ. ſcientia ſpeculativa, conced. conſeq. practica, nego conſeq. Dum ergo ait D. Th., quod ſcientia eſt cauſa dirigens, loquitur de ſcientia ſpeculativa, & ſimplicis intelligentiæ, *qua* nimirum *concipitur forma operis*, & quæ præcedit voluntatem, *quia* (inquit) *forma, ut eſt in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod ſit, vel non ſit in effectu, niſi per voluntatem: unde intellectus ſpeculativus nihil dicit de operando.* Non autem loquitur de ſcientia practica ſupponente actum voluntatis inclinantis, & moventis ad opus: ſed hanc indicat, dum ait: *Sed potentia eſt cauſa ut exequens, quia nominat immediatum principium operationis.* Quare ſecundum D. Thomam ſcientia, ut præcedens voluntatem, eſt cauſa ſolum dirigens, ut vero ſubſequens voluntatem imperantem (id eſt ut excitantem intellectum ad imperandam executionem operis) vocatur potentia, & cauſa immediate exequens, quia licet imperium formaliter in intellectu ſit, radicaliter tamen, & motive eſt in voluntate.

XXI. Oppones tertio. Voluntas proximius accedit ad executionem operis, quam intellectus; ergo in illa, non in iſto potentia executiva Dei ponenda eſt. Ant. prob. Poſt imperium, quod eſt ultimus actus intellectus, ordine executionis, ſequitur in voluntate actus uſus, qui ordine executionis eſt ſimpliciter ultimus, ut expreſſe docet D. Thom. 1. 2. *q.* 17. *art.* 3. ergo uſus proximius accedit ad executionem: ut enim docet D. Thomas ibi: *uſus utentis conjunctus eſt cum actu ejus, quo quis utitur. Non enim utitur aliquis baculo, antequam aliquo modo per baculum operetur. Imperium autem non eſt ſimul cum actu ejus, cui imperatur, ſed naturaliter prius eſt imperium, quam imperio obediatur.* Ergo in uſu potius, quam in imperio potentia executiva Dei locanda eſt.

XXII. Reſpondeo, neg. anteced. Ad ejus probationem, quidam admittentes in Deo hunc actum Uſus ſecutum ad actum imperii intellectus, reſpondent diſt. ant. poſt imperium ſub munere dirigentis ſequitur &c. conc. anteced. ſub munere exequentis, nego antec. In actu itaque imperii duplex munus diſtinguunt, alterum dirigentis, ſeu intimantis, alterum exequentis, & dicunt, quod ſub munere dirigentis præcedit quidem uſum, tamquam dirigens, ſeu verius intimans ipſum, ſed ſub munere exequentis ſequitur uſum, & ſub hoc munere eſt rerum productio, & ſic proximius accedit ad productionem rerum, quam uſus. Et hic loquendi modus fundamentum habet in D. Thom. qui 1. 2. *quæſt.* 17. art. 1. *Sed ratio* (inquit) *poteſt aliquid intimare, vel denuntiare dupliciter. Uno modo abſolute, quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi, ſicut ſi aliquis alicui dicat*: hoc eſt tibi faciendum. *Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui movendo ipſum ad hoc: & talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi: puta cum alicui dicitur: fac hoc.* Cum ergo operatio Dei ad extra modo imperativo exprimatur: *fiat lux: fiat firmamentum.* & ſtatim ſubdatur: *& facta eſt lux: & factum eſt firmamentum*: rerum productio paſſiva immediate correſpondet, & ſequitur ad imperium Dei, & proinde ad imperium ut exequens, & non ſolum ut intimans abſolute, vel denuntians.

Alii vero, licet in voluntate creata poſt actum imperii admit-

tant

tant actum uſus, illum tamen negant in voluntate divina; dicunt enim, quod in tantum in voluntate creata poſt actum imperii ponitur actus uſus, quia poſito actu imperii, ſupereſt aliqua difficultas in applicandis potentiis executivis ad actum, vincenda per actum uſus; cum autem in Deo iſta difficultas non detur, immo nec detur potentia executiva diſtincta ab intellectu practico, cujus imperium eſt formaliter ipſa executio; ideo ceſſat totaliter neceſſitas actus uſus imperium ſubſequentis. Utraque reſponſio probabilis eſt.

XXIII. Sed dices. Secundum D. Thomam actus productivus creaturarum debet eſſe actus ſcientiæ, cum ſcientia Dei ſit cauſa rerum; ſed actus imperii non eſt actus ſcientiæ: vel enim imperat factibilia, & ſic eſt actus prudentiæ; ergo &c.

Reſpondeo, negando min. Et dico, quod, cum ſecundum D. Thomam hoc *art.* 8. & alibi frequenter, ſcientia Dei ſe habeat ad res creatas, ſicut ſcientia artificis ad artificiata, & ſicut ſcientia artificis cauſa artificiatorum eſt, ita ſcientia Dei ſit cauſa rerum; nullum video inconveniens, quod imperium, quod eſt proprium artis, ſit actus proprius ſcientiæ divinæ, ut reſpicit factibilia. Eſto enim ſcientia ſpeculativa contradiſtinguatur ab arte, ſcientia tamen practica, quæ eſt ſicut ſcientia artificis (qualem eſſe ſcientiam divinam, dum cauſat res, docet D. Th.) coincidere poteſt cum arte, & imperium circa factibilia actus utriuſque eſſe poteſt.

D U B I U M V.

An Scientia, qua Deus cauſat res, ſit Scientia Viſionis, an Simplicis Intelligentiæ.

§. I.

Prænotantur aliqua.

I. STatuimus in præcedenti Dubio, Potentiam executivam Dei, ſeu Omnipotentiam, eſſe ipſum divinum intellectum, & actualem rerum productionem eſſe actum intellectus, ſeu ſcientiam practicam. At quia, ut vidimus, ſcientia Dei, alia eſt viſionis, alia ſimplicis intelligentiæ; ideo quærimus, quanam ex his duabus actu Deus producat creaturas. Pro quo

II. Adverto, quod circa productionem creaturarum plures actus in intellectu divino concipere poſſumus. Nam, præter actum imperii, quem diximus, eſſe ipſam actualem rerum productionem, alii ante ipſum concipiuntur actus dirigentes voluntatem divinam, ſive ad intentionem finis, ſive ad electionem mediorum. Sicut enim (ait D. Thom. in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1.) *eſt iſte proceſſus in productione artificiati. Primo ſcientia artificialis oſtendit finem. Secundo voluntas ejus intendit finem illum. Tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus ſcientia artificis ponit formam conceptam.* Ita Scientia Dei, quæ ſe habet ad modum ſcientiæ artificis in cauſando res, ut diximus ex eodem S. Doct. primo noſtro modo intelligendi oſtendit divinæ voluntati finem, deinde voluntas intendit, rurſus ſcientia proponit media, quæ voluntas eligit, inde ſequitur imperium. De his ergo actibus intellectus, ſeu ſcientiæ divinæ quærimus modo.

§. II.

Reſolvitur de actibus ſcientiæ præcedentibus imperium.

III. DIco primo. Scientia, quæ ſolum directive ad rerum productionem concurrit, qualis eſt ſcientia oſtendens finem, & media, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Prob. Scientia, quæ directive concurrit, vel eſt cognitio dirigens intentionem finis, & oſtendens finem, vel eſt conſilium, ſeu judicium proponens media, & dirigens electionem, ſed utraque eſt notitia ſimplicis intelligentiæ; ergo &c. Maj. patet, quia præter dictas cognitiones non datur, niſi imperium, quod, ut vidimus, non directive ſolum, ſed effective concurrit. Min. vero prob. Cognitio, quæ concipitur præcedere exiſtentiam, & futuritionem rei eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ reſpicit rem, ut poſſibilem, nondum determinatam ad exiſtendum; ſed tam cognitio regulans decretum intuitivum, quam electivum præcedunt rei futuritionem; ergo &c. Min. prob. Finis non eſt determinate futurus, niſi futura ſint media, media non ſunt determinate futura, niſi ſint electa, & ordinata ad executionem; ergo cognitio præcedens, & dirigens decretum intentivum, electivum, & executivum præcedit noſtro modo concipiendi rerum fruitionem, cum hæc habeatur ex decreto executivo.

IV. Sed dices. Cognitio regulans decreta intentiva Dei circa rerum productionem eſt cognitio practica, quia ordinatur ad faciendum extra Deum; ſed omnis cognitio practica eſt in Deo ſcientia viſionis, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt pura notitia eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, nec reſpicit faciendum, ſed factibile; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. min. omnis cognitio practica effective eſt &c. con. min. cognitio practica ſolum remote, & directive, nego min. Cognitio practica eſt duplex, alia factiva, alia directiva, non ſolum enim practicum eſt, quod producit, ſed etiam id, quod dirigit ad productionem. Scientia ergo ſimplicis intelligentiæ, eſto non poſſit eſſe practica productive, poteſt tamen eſſe practica directive, quatenus dirigit actus intentivos voluntatis circa rerum productionem.

V. Dices tamen. Scientia ſimplicis intelligentiæ non reſpicit res, ut producendas, ſed ut producibiles; at ſcientia practica etiam directiva reſpicit creaturas, non ut mere producibiles, ſed ut producendas, ſeu ut futuras ſaltem pro ſigno poſteriori; ergo non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Reſpondetur, diſt. maj. ut producendas executive, ultimate, & conſummative, conc. maj. intentive, indeterminate, & inchoative, nego maj. & diſtincta ſimiliter min. nego conſeq. Scientia ergo ſimplicis intelligentiæ, eſto non poſſit reſpicere creaturas, ut producendas, vel ut futuras ultimate, executive, & determinate, poteſt tamen reſpicere illas, ut producendas, vel non producendas indeterminate, ſed ut producendas ſolum intentive, & inchoative. Sic autem ſunt creaturæ pro priori ad decretum executivum: cognitio enim oſtendens finem, ſolum oſtendit bonitatem finis voluntati: conſilium vero, teſte D. Th. 1. 2. *q.* 14. *art.* 5. *ad* 3. ſolum proponit media, ut congrua fini. Quare ſi poſita oſtenſione finis, voluntas eum non intenderet, finis remaneret poſſibilis: & ſi poſita intentione finis, & conſilio de mediis, ea voluntas non eligeret, media adhuc eſſent poſſibilia: & tandem ſi poſita electione, non daretur decretum ordinans executionem, nec media, nec finis eſſent unquam futura abſolute. Ex quibus ſequitur, quod, etſi Scientia Dei ſupponat actum voluntatis, adhuc poteſt eſſe ſcientia ſimplicis intelligentiæ; Tunc autem ſolum eſſe ſcientiam viſionis, quando ſupponit decretum executivum: tunc enim ſunt ultimate futura, & præſentia Dei, ideoque objectum ſcientiæ viſionis.

§. III.

Reſolvitur de actu Imperii executivi.

VI. DIco ſecundo. Scientia, qua Deus in actu ſecundo res producit, quam vocamus actum imperii, eſt ſcientia viſionis. Probo. Scientia, quæ verſatur circa res actu exiſtentes, eſt ſcientia viſionis, non ſimplicis intelligentiæ, quæ reſpicit res, vel ut mere poſſibiles, vel ſolum ut in actu primo producendas, & inchoative futuras; ſed ſcientia, quæ eſt actualis rerum productio, reſpicit res in actu ſecundo exiſtentes: quia terminus actualis productionis eſt res actu exiſtens; ergo &c.

VII. Dico tertio. Scientia, quæ eſt rerum productio, non eſt ſcientia viſionis, quatenus præciſe, & formaliter viſionis eſt: ſed ſolum quatenus eſt approbationis, ſeu quatenus applicata per decretum executivum divinæ voluntatis. Eſt D. Th. hac 1. *p. q.* 14. *art.* 8. ubi concludit: *Unde ſcientia Dei, ſecundum quod eſt cauſa rerum conſuevit nominari ſcientia approbationis.* Ut explicetur hæc concluſio, ſuppono, quod, licet ſcientia viſionis, & approbationis ſit unica ſcientia in Deo, dicit tamen diverſum reſpectum. Ut enim viſionis eſt, reſpicit objectum, quod intuetur. Ut vero approbationis, reſpicit decretum divinæ voluntatis, quo applicatur. Ut ergo viſionis eſt, & ut pure intuitiva, ac ſui objecti contemplativa, non dicit eſſe cauſam rerum, ſed eas potius ſupponit in aliquo priori naturæ jam factas, & productas a ſe ipſa, quatenus eſt practica, & approbationis: Ad eum modum, quo eadem cognitio, licet ſit productiva verbi, & contemplativa ejuſdem, quatenus tamen eſt contemplativa, non eſt productiva verbi, ſed illud ſupponit productum a ſe ipſa, quatenus dictio eſt.

VIII. Probatur ergo prima Pars ſic. Si ſcientia Viſionis, quatenus præciſe Viſionis eſt, eſſet productio rerum, omnis ſcientia viſionis eſſet productio, quia cauſalis æquivalet univerſali, & a cauſali ad univerſale eſt bona conſequentia: ſed non omnis ſcientia viſionis eſt actualis productio, etiam in Deo. Tum quia ſcientia, qua cognoſcit ſe ipſum eſſentialiter eſt viſio: & tamen nihil producit. Tum quia Deus ſcientia viſionis cognoſcit peccata præterita, præſentia, & futura: & tamen ulla non producit.

IX. Secunda autem Pars probatur ſic. In quantum ſcientia viſionis eſſe poteſt productio rei, in quantum habet efficaciam ultimo, & complete in ordine executivo; ſed hanc efficaciam habet ex participatione voluntatis, quæ eſt primum movens quoad exercitium, & executionem; ergo &c. Utramque partem docet D. Th., tum hoc *art.* 8. tum in 1. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. his verbis: *Sciendum eſt ergo, quod ſcientia ſecundum rationem ſcientiæ non dicit aliquam cauſalitatem, alias omnis ſcientia cauſa eſſet: ſed in quantum eſt ſcientia artificis.* Inde proſequitur, quod ſicut ſcientia artificis non ponit in opere formam conceptam, niſi ex imperio voluntatis; ita ſcientia divina. Et ex hoc tandem concludit: quod *ſicut quidquid accidit in effectu per defectum a forma artis, vel a fine, non reducitur in ſcientiam artificis, ſicut in cauſam;* ita *malum, quod eſt deviatio a forma, & a fine, non cauſatur a ſcientia Dei: ſed tantum cauſalitatem habet reſpectu bonorum, ſecundum quod conſequuntur formam divinæ artis, & finem: non tamen quod reſpectu ad bonum dicat perfectam rationem cauſalitatis, niſi ſecundum quod adjungitur voluntati. Et ideo in litera dicitur, quod ſcientia beneplaciti eſt cauſa rerum. Et propter hoc etiam Avicenna dicit* (Lib. de intellig. c. 1.) *quod, in quantum Deus cognoſcit eſſentiam ſuam, & amat, vel vult eam, ſecundum quod eſt principium rerum, quarum vult, ſe eſſe principium, fluunt res ab eo.* Idem docet *q.* 2. *de Verit. art.* 14.

X. Sed oppones contra ſuperius dicta. Actualis rei productio nequit ſupponere rem productam; ſed ſcientia viſionis ſupponit res a Deo productas; ergo &c. Min. prob.

Primo, *Geneſ.* 1: *verſ.* 31. dicitur *vidit Deus cuncta, quæ fecerat.*

Secundo ſcientia viſionis, utpote cognitio rei exiſtentis, ſupponit rem exiſtentem, & conſequenter jam productam.

Tertio, in nobis intuitiva cognitio ſupponit rem jam productam; ergo & in Deo.

Quarto, ſicut ſimplex notitia reſpicit poſſibile, ita ſcientia viſionis reſpicit objectum exiſtens; ſed ſimplex notitia ſupponit poſſibile, nec illud poſſibile facit; ergo ſcientia viſionis ſupponit exiſtens objectum, nec illud facit exiſtens.

Quinto,

Quinto, nulla ſcientia facit, ſed ſupponit objectum ſuum; ſed ſcientiæ viſionis objectum eſt res exiſtens; ergo illam non facit, ſed ſupponit exiſtentem.

XI. Reſpondetur, diſt. min. ſcientia ut viſionis eſt, & contemplativa rei factæ, conc. min. ſcientia viſionis habens adjunctam voluntatem faciendi, neg. min. Talis autem eſt ſcientia viſionis, quam dicimus eſſe rerum productionem. *Res enim naturales* (ait D. Th. hoc *a.* 8. *ad* 3.) *ſunt mediæ inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus a rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt: unde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quam ſcientia noſtra, & menſura ejus: ita ſcientia Dei eſt prior, quam res naturales, & menſura ipſarum: ſicut aliqua domus eſt media inter ſcientiam artificis, qui eam fecit, & ſcientiam illius, qui ejus cognitionem ex ipſa jam facta capit.*

Ad primam prob. min. dico, quod ſicut artifex per ſuam ſcientiam facit domum, & domum jam factam contemplatur, & probat; ita Deus per ſuam ſcientiam imperantem fecit omnia: & hoc indicant illa verba Gen. 1. *Dixit, fiat, & facta ſunt.* Deinde ea jam facta intuitus eſt, ac probavit: & hoc indicant verba allata *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Hæc tamen inter ſcientiam artificis creati, & Dei differentia eſt, quod ſcientia artificis creati, dum opus a ſe factum contemplatur, eſt pure ſpeculativa, opus enim etſi in ſuo fieri pendeat a ſcientia artificis creati, ab ea tamen non pendet in facto eſſe, & conſervari. At res naturales a Dei ſcientia pendent, nedum in fieri, ſed etiam in facto eſſe, & conſervari: unde ſcientia Dei, qua intuetur res a ſe factas, eaſque probat, eſt conſervativa illarum, & ideo practica.

Ad ſecundam dico, viſionem non petere, ut ſuum objectum ſupponatur per aliam actionem productum, & exiſtens, ſed ſufficere, ut terminetur ad exiſtens: quod verum eſt, ſive ſit factum exiſtens antecedenter ab alio, ſive concomitanter, & a ſe.

Ad tertiam dico, in nobis, ut nuper dicebam cum Div. Thom. notitiam intuitivam eſſe pure contemplativam rei factæ, non vero practicam, & factivam, ſicut in Deo.

Ad quartam pariter dico, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe pure ſpeculativam rei poſſibilis; ſcientiam tamen viſionis poſſe eſſe practicam: & hoc modo poſſe efficere objectum præſens.

Ad quintam dico, verum eſſe de ſcientia ſpeculativa, non vero de ſcientia practica, qualis eſt ſcientia Dei, ut productio creaturarum eſt: ſicut enim eadem intellectio producit Verbum, & in Verbo contemplatur, ita eadem Dei ſcientia creaturam producit, & eam intuetur.

An autem res ideo ſint, quia ſciuntur a Deo, vel potius oppoſitum, fuſe tractatum eſt ſupra hac *q. Dub.* 3. §. 3. quo lectorem remitto.

Q U Æ S T I O V.

De Divina ſcientia circa futura contingentia abſoluta:

FUturum illud dicitur, quod, eſto nunc non ſit, aliquando tamen erit. Duplex autem eſt; aliud neceſſarium; aliud contingens. Primum illud eſt, quod ita erit, ut non poſſit non eſſe, ut craſtinus ortus Solis. Contingens vero eſt, quod taliter eveniet, ut abſolute aliquando poſſet non evenire, ut adventus Anti-Chriſti. Hic loquimur de Scientia Dei circa futura contingentia. Hæc vero rurſus, alia ſunt futura abſoluta, quæ ſcilicet independenter ab omni conditione aliquando erunt; alia conditionata, quæ erunt, ſi ponatur aliqua conditio. De his ſequenti quæſtione; in præſenti agemus de primis. Utraque quæſtio magna contentione agitata diviſos tenet Theologos.

D U B I U M I.

An Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. DE hoc agit D. Th. hac 1. *p. qu.* 14. *art.* 3. & *qu.* 2. *de verit. art.* 12. Et noto cum eodem, quod *contingens aliquid dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo in ſe ipſo, ſecundum quod jam actu eſt: & ſic non conſideratur, ut futurum, ſed ut præſens; neque ut ad utrumlibet contingens, ſed ut determinatum ad unum; & propter hoc infallibiliter ſubdi poteſt creatæ cognitioni, utpote ſenſui viſus; ſicut cum video Socratem ſedere. Alio modo poteſt conſiderari contingens, ut eſt in ſua cauſa: & ſic conſideratur, ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita; & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum, non habet de eo, niſi conjecturalem cognitionem.* Hæc D. Th. Quærimus ergo, an Deus futura contingentia cognoſcat, & qomodo?

II. In re tam certa non defuerunt, qui turpiter erraverint. Mitto blaſphemiam VValtheri Lolhardi, qui ſæculo 14. per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam inter cætera ſparſit, Deum *neſcire mala, quæ ſub terra fiunt,* merito propterea exuſtus Coloniæ an. 1321. In quo errore cum quædam puella pertinaciter verſaretur, & propterea flammis eſſet damnata, dum ad ſupplicium cremanda duceretur, interrogata, an eſſet Virgo, reſpondiſſe fertur, *ſum Virgo ſuper terram, non ſub terra.* Hæc inquam prætermitto. *Circa hoc* (ait S. Th. q. 2. de verit. art. 12.) *diverſimode eſt erratum. Quidam enim de divina ſcientia judicare volentes ad modum ſcientiæ noſtræ dixerunt, quod Deus futura contingentia non cognoſcat. Sed hoc non poteſt eſſe, quia ſecundum hoc non haberet providentiam de rebus humanis, quæ contingenter eveniunt. Et ideo alii dixerunt, quod Deus omnium futurorum ſcientiam habet, ſed cuncta ex neceſſitate eveniunt, alias ſcientia Dei falleretur de eis.* Hoc ut evitaret Cicero *lib. de divinatione c.* 2. & ut in Deo providentiam, liberumque arbitrium in homine tueretur, & ne omnia fato evenire cogerentur, abſtulit a Deo præſcientiam futurorum. Quare, ut ait D. Auguſt. *lib. de Civit. Dei c.* 9. *dum vult facere liberos, fecit ſacrilegos. Nos igitur* (loquor cum Auguſtino laudato) *adverſus iſtos ſacrilegos auſus, atque impios, & Deum dicimus omnia ſcire, antequam fiant; & voluntate nos facere, quidquid a nobis nonniſi volentibus fieri ſentimus, & novimus.* Primum in præſenti; ſecundum præſtabimus in ſequentibus.

§. II.

Veritas Catholica.

III. DIco. Deus ab æterno certo, & infallibiliter novit omnia futura, etiam contingentia. Hanc veritatem clamant Scripturæ. Pſal. 138. v. 3. & 4. *Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitas meas, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti. Dan.* 13. *v.* 22. exclamavit Suſanna: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant.* Et *c.* 2. *v.* 28. *ſed eſt* (inquit Daniel) *Deus in Cælo, revelans myſteria, qui indicavit tibi, Rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus.* Et *v.* 29. *qui revelat myſteria, oſtendit tibi, quæ ventura ſunt.* Hinc

IV. Hoc idem confirmant ii textus, qui Dei prædictiones de rebus futuris enuntiant. Quare, inquit Origenes *lib.* 5. contra Celſum, *futurorum prædictio divinitatis nota eſt, & character.* Et Tertullianus *Apologetic. c.* 20. *Idoneum* (inquit) *teſtimonium divinitatis, veritas divinationis,* ſumens divinationem pro prophetia. Hoc idem teſtatur Iſaias *c.* 41. *v.* 22. ubi, ut oſtendat Gentilium numinum inanitatem, provocat ea ad annuncianda futura; *Accedant* (inquit) *& nuntient nobis quæcumque ventura ſunt.* Et v. 23. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* Hinc lumen Propheticum, alicui homini communicatum, eſt participatio quædam præſcientiæ Dei. *De præſcientia Dei quid dicam, quæ tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas?* ait Tertullianus *l.* 2. *adverſ. Marcion. c.* 5. Ideoque prophetia dicitur divinatio, quia inhabitantis divinitatis in homine ſignum eſt. At ſuperfluum eſt pro re tam certa quærere teſtimonia, cum Auguſtinus loc. citat. *lib.* 5. *de Civit. c.* 9. aperte dicat de Cicerone negante Deo præſcientiam futurorum: *Multo ſunt tolerabiliores, qui vel ſydera fata conſtituunt, quam ille, qui tollit præſcientiam futurorum. Nam & confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.*

V. Ratio hoc idem demonſtrat. Primo, cum Deus omnium futurorum, etiam contingentium, cauſa ſit, ea cognoſcit, quando in tempore illa producit, ne dicamus, eum agere cæco, & ignaro modo, neſciens quid agat. Ergo cum divina cognitio ſit invariabilis, nec poſſit aliquid cognoſcere modo, quod non cognoverit ſemper, ne admittamus pro tempore anteriori in eo ignorantiam, dicendum, eum habuiſſe ſemper, & conſequenter ab æterno, futurorum cognitionem.

VI. Secundo, futura contingentia ſunt ab æterno cognoſcibilia; ergo Deus, cujus ſcientiam, utpote infinitam, nihil cognoſcibile latere unquam potuit, ea ab æterno cognovit. Antec. prob. Futura contingentia ſunt vere ab æterno futura, quidquid vere exiſtit pro aliquo tempore, toto tempore, ſeu duratione antecedente ejus exiſtentiam, ſive finita ſit, ſive infinita, vere eſt futurum, ſeu verum eſt, quod aliquando erit; ergo vel Deus ab æterno aliquod verum non cognovit, vel cognovit futura contingentia.

VII. Tertio. Quod certo, & infallibiliter ea cognoſcat, probat S. Th. hoc *art.* 13. & *q.* 2. *de verit. art.* 12. citatis, ſic. Deus videt contingentia; non ſecundum eſſe contingens ad utrumlibet, prout ſunt in ſuis cauſis proximis, ſed ſecundum eſſe determinatum, quod habent, prout ſunt in ſe ipſis; ergo illa certo, & infallibiliter cognoſcit. Conſequentia patet ex prænotatis §. 1. Antecedens, priuſquam probem, explico. Contingens eſto ſuapte natura ſemper ſit contingens, ideſt, potens non eſſe, non ſemper eſt in ſtatu contingentiæ, ſeu indifferentiæ ad utrumlibet. Dum eſt in cauſa contingenti, eſt in ſtatu contingenti, dum vero in ſe eſt, eſto contingens ſit, non eſt tamen in ſtatu contingentiæ, ſed determinationis ad eſſe, quia unumquodque, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Sic ergo explicatum antecedens probo ex Div. Thoma hoc *art.* 13. ſic. Deus cognoſcit omnia futura contingentia ſecundum quod actu ſunt ab æterno ſimul; ſed ab æterno ſimul ſunt actu præſentia Deo; ergo &c. maj. prob. Æternitas tota ſimul exiſtens ambit omne tempus, & cognitio Dei menſuratur æternitate; ergo & ſimul, quæ ſucceſſive fiunt, novit Deus, & omnia quæ ſunt in tempore, ſunt præſentia Deo ab æterno, non ſolum *ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes,* ideſt, ut cognita cognoſcenti: *Sed quia ejus intuitus ab æterno fertur ſuper omnia, ut ſunt in ſua præſentialitate,* ideſt, ut ſunt æternitati præſentia. Quod ſuperius oſtendimus *q.* 4. *dub.* 2. Hinc aperitur via dubitandi, an realis futurorum præſentia in æternitate conducat ad certitudinem divinæ cognitionis: quare ſit

§. III.